



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutioes Morales

In Quibus Vnivers[a]e Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1616

19. Quinam Beneficarij possint beneficia resignare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14007

ribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum.

Quæres, qua pena puniantur Episcopi, & alii locorum ordinarii conferentes beneficia coram ipsis dimissa consanguineis, affinibus, vel familiaribus suis, vel dimittentium? Respondeo, ex constitutione Pii V. citata eos esse suspensos à collatione, electione, & institutione, & presentatione, & confirmatione, donec à Romano Pontifice remissionem obtinuerint: quam penam suspensionis contrahunt etiam ij qui beneficia sic dimissa recipiunt; quapropter abstinere debent à quouis iure, & officio, quod eis conuenit ratione beneficiorum. Episcopi vero, & ordinarii locorum, qui contulerunt beneficia, dimissa amplius conferre, eligere, presentare, confirmare, instituere non possunt: quorum aliquid si facere tentauerint, in excommunicationem ipso facto incidunt; & si Collegia, Conuentus, siue Clericorum fuerint, in suspensionem à diuinis, quæ est quædam interdicti species: à qua excommunicatione, vel suspensione abolui nequeunt nisi à Romano Pontifice extra mortis articulum. Dubium alicui videri possit, An Episcopi, & alii locorum ordinarii, per ignorantiam, Resignationes beneficiorum sua auctoritate approbantes, & dimissa beneficia suis, vel dimittentium consanguineis conferentes, in suspensionis penam incurrant? Respondeo minime, si per iustam prædictæ Constitutionis ignorantiam id fecerint, quoniam pena legis ignorantes minime afficiuntur in foro interiori conscientiæ, quamuis in exteriori, ignorantia iuris communis locum non habeat, quia contra legem facientes, scientes facere creduntur.

Quærat etiam quispiam, An prædicta pena suspensionis solum constituatur in Episcopos, & alios ordinarios locorum conferentes resignata beneficia suis, vel dimittentium consanguineis, aut familiaribus; An vero etiam in eos, qui admittunt resignationes beneficiorum, sine causis in ea Constitutione contentis? Respondeo, solum constitui in eos, qui conferunt beneficia dimissa consanguineis: quia Pontifex, postquam causas expressit, ex quibus possunt coram ordinariis beneficiorum resignationes admitti, statim præcipit ordinarii beneficia dimissa conferant consanguineis, vel familiaribus. Ac deinde subiungit: *Qui vero contra fecerint, à beneficiorum collatione suspensi remaneant, &c.* Ex quibus verbis patet, penam suspensionis ad proxime, non ad remote dicta referri debere. & paulo post ea verba, addit: *It in quo deliquerint, puniantur;* nimirum hoc quia in conferendo consanguineis peccarunt, suspenduntur à conferendis beneficiis. Dubitatur iridem, quam penam soluere debeant ordinarii, resignationes beneficiorum citra ullam causam earum, quas Pontifex prædicta in Constitutione expressit, approbantes? Respondeo, nullam aliam soluere penam debere: nisi quod resignationes ipsæ sunt irritæ, & inanes: ait enim Pontifex: *Quidquid præter, vel contra formam fuerit à quoquam temere attentatum, effectum discernimus non debere.* Et hoc locum habet, etiam si per ignorantiam iust. m fuerint resignationes beneficiorum admittæ, hæc enim non est pena, sed decretum, quo lex irritum reddidit aliter factum: huiusmodi autem decreta legum vim habent, etiam si per probabilem ignorantiam aliquid contra eas fiat. Insuper quæret aliquis, An locorum ordinarii possint permutationes beneficiorum admittere? Respondeo, posse, dumtaxat tamen eas, quæ iure communi sunt ipsis permittæ, de quibus dicam inferius; quia Pius V. primum suspendit facultates ordinariorum ad recipiendas resignationes, & permutationes beneficiorum vique ad tempus formulæ præscribendæ. Sed in prædicta Constitutione præscripsit modum obseruandum in resignationibus, non autem in permutationibus. Ergo adhuc suspensæ manent facultates ordinariorum in permutationibus. Postrema dubitatio ea est quorundam, An pena suspensionis afficiat etiam Cardinales admittentes beneficiorum resignationes, & dimissa beneficia conferentes suis consanguineis, vel

familiaribus alioqui dignis, & aptis? Respondeo, minime, quia penæ, & odia restringi, non laxari debent. Et sicut nomine Beneficiorum in penis, & odiis non comprehenduntur Episcopi, Abbates, vel alie dignitates Ecclesiasticæ; ita nec Episcoporum, vel Ordinariorum appellatione intelliguntur Cardinales in prædicta Pii V. Constitutione, tametsi illi sint Episcopi, quoniam sunt in excellentiori honoris, & dignitatis gradu constituti.

Sexto quæritur, An Beneficiarius propria possit auctoritate beneficium dimittere? Respondeo, minime: debet enim coram ordinario hoc est, ipsius auctoritate, beneficium deponere, *cap. admonet. & cap. ultimo. de renuntiatione:* sunt enim beneficia Ecclesiæ bona, & in Ecclesiæ utilitatem instituta; & proinde ius Canonicum cauet, ne Clericus iniussu superioris beneficium dimittat, ne illud habere videatur in patrimonio, & bonis suis, & ne Ecclesiæ debito sibi ministro destituatur. Vnde qui sine superioris auctoritate beneficium deponit, reuocari potest, ac nisi admonitus redierit, potest excommunicationis vinculo obstringi, *cap. Siquis vero, septima questione prima, & Glossa in capitulo. Admonet. de renuntiatione.*

Septimo quæritur, Cuiusnam superioris auctoritate Clericus beneficio se possit abdicare? Respondet Glossa in *Clemen. 1. de renuntiat.* non omnem ad quem pertinet ius beneficii conferendi, auctoritatem habere renuntiationem approbandi, qua quis suo beneficio cedit: Is, inquit Glossa, & Panormitanus *cap. admonet citato,* habet id potestatis, & iuris, qui potest non solum beneficia conferre, sed etiam ea adimere, id est, Qui potest Clericos ad beneficia promouere, & à beneficiis amouere, & deicere. Tales sunt Romanus Pontifex, Legatus à latere, *cap. s. Abbatem, §. vltim. de elect. in sexto,* Episcopus, *cap. Cum ex iniuncto, §. vltim. de haret. cap. Nullus 17. questione 7.* Quærat aliquis, An Canoniorum Collegium eam etiam potestatem habeat sede vacante? Respondeo, habere. *Sic Panormitanus in cap. Cum olim. de maiorib. & obed.* nam ea quæ sunt iurisdictionis, non Ordinis, ad Collegium Canoniorum transeunt, si sint iurisdictionis necessariæ, non voluntariæ. Vnde licet Collegium Canoniorum, Ecclesiæ viduata, siue pastore destituta, nequeat conferre beneficia, quorum conferendorum ius, & potestas ad solum Episcopum pertinebat, approbare tamen potest renuntiationem, qua quis suum dimittit beneficium: quia cum renuntiationis non nisi iustus de causis fiat, necessitas est, non voluntatis consensum præstare in renuntiatione beneficii. Ex quo efficitur, vt cum quis beneficium cedit, cuius conferendi ius ad aliquem Episcopo inferiorem spectat, renuntiatione fieri debeat coram Episcopo, & dimissum beneficium is conferat, ad quem ius conferendi pertinet.

C A P. XX.

Quam beneficiarii possint beneficiari-signare.

PRIMO quæritur, Num Clericus possit per procuratorem beneficium deponere: item cum Clericus suum beneficium resignat non per seipsum, sed per procuratorem, vbi nam beneficium vacare dicatur? Respondeo, ex communi omnium sententia, quam habet *Rebuff. in 3. part. de procuratoribus ad resignat. constitutis, num. 1. & sequentibus,* posse per procuratorem resignare, vt colligitur ex *Clem. 1. de renuntiat.* Et cum quæritur, vbi nam beneficium vacet, an vbi illud procurator dimittit, an vero vbi commoratur is, qui ad renuntiantium constituit procuratorem? Respondeo, vbi procurator beneficio cedit, ibi beneficium vacare, *Glossa in Clem. 1. vlt. litem pendente. Archidiaconus cap. 2. de præbend. in sexto. Rebuff. in 3. par. tit. de procurat. ad resignat. constit. num. 28.* nam in resignatione procurator non vnum ministerium præstat: nec enim dicit, renuntiat N. sed ego procuratorio nomine renuntio.

Secundo queritur, An si Caius Clericus Titium procuratorem eligat, & deinde Titius nomine Caij beneficium deponat, valeat renuntiatio, si Titius dimittat, postquam a Caio fuerat reuocatus? Respondeo, cum distinctione. Aut Titius procurator beneficium dimisit, certior factus de renuntiatione, aut secus. Si primum, renuntiatione nullius est momenti: si secundum, rata est & firma renuntiatione, vt constat ex *Clem. 1. de renuntiat.* valent enim acta per procuratorem quamuis auctoritate Domini reuocata, quando cumq; procuratori reuocatio ingratia est.

Tertio queritur, An ad deponendum beneficium sufficiat, si procurator electus, laicus sit, An potius Clericus esse debeat? Hanc questionem inferius diluemus. In presentem loco breuiter respondeo cum *Rebuffo loco citato. num. 16.* laicum ad id muneris sufficere, quamuis *Collect. cap. 2. de rer. permutat.* dicere videatur, Clericum esse debere: sed id nullo iure probat. Quares, An ad dimittendum beneficium, possit Monachus, vel quiuis alius religiosus procurator institui? Hanc etiam questionem infra diluemus: illud interim, respondentes, posse, vt ait *Rebuffus loco citato. nu. 17.* ex Abbatis tamen, vel superioris consensu: eo quod Monachi voluntas ratione voti in religione facti, sit Abbati subiecta. At vero renuntiatione rata est, & firma, etiam si fuerit contra Abbatis consensum facta: nam est peccet monachus id faciens absq; superioris consensu, factum tamen non est ipso iure irritum, & inane.

Quarto queritur, Quinam possint beneficia resignare? Respondeo, in vniuersum quotquot beneficium habent: dummodo tamen coram ordinario legitime beneficium dimittant. Sed dubie est questionis, An qui Parochialem Ecclesiam adeptus intra annum sacerdos factus non est, suo possit cedere beneficio: vltimo die anni, vel eo tempore, quo intra annum sacerdos fieri iam non potest? Nonnulli negant, quia alioqui posset Parochialis Ecclesia perpetuo obtineri, tamen si nullus intra annum createur sacerdos. Vt si Titius cum defecerat extremo die anni, & conferatur Caio, qui & ipse intra annum ad sacerdotium non promotus postremo die illius anni eam dimittit, & datur Seio, qui similiter intra idem spatium temporis sacerdos non factus in vltimo die se abdicat ea. Deinde quia alioqui Titius tota conscientia in fraudem legis differret vsque ad extremum anni diem. Accedit his quod Titius eo ipso quo non potest ad sacerdotium promoueri, priuatus est Ecclesia Parochiali: frustra enim expectatur euentus, qui iam non potest accideri. *Aliquando ff. ad Senatufconsultum Velleianum.* Verum probabilior est opposita sententia eorum qui afferunt, eum posse: tuta conscientia se beneficio abdicare, & renuntiationem valere. Sic *Olshadus consil. 203. Cassiodorus decis. 4. § 27. Archidiaconus in cap. Cum ex eo. de elect. in sexto.* nam in *e. Commissa, de elect. in sexto*, aperte dicitur, Ecclesiam Parochialem non vacare nisi anno lapsso: ergo antea annum elapsum Clericus potest, quod adhuc obtinet beneficium dimittere. Vnde *Ancharanus, & Geminianus in eo. e. Commissa.* docent, vbi poena constituitur in aliquem, si quippiam intra certum tempus non fecerit, non contrahitur ante tempus illud penitus elapsus: vt si causa definienda committatur alicui intra certos dies, intra quos si definita non fuerit, ad superiorem remittatur, nequit remitti etiam vltimo die, quo iam amplius definiti nequit. Cum etiam alicui fas est intra annum appellare, contra eum agi non potest, etiam extremo die, quo iam appellare non possit. Pari ratione cum preceptum est alicui, vt infra tres dies se in iudicio sistat, alioqui a quolibet impune possit occidi, nequit intra eos dies interfici impune, etiam si duobus diebus elapsis, in tertio ad iudicium venire non possit. Ad obiecta vero respondeo, ea nihil efficere, quia ius ipsum permittit, vt etiam si vltimo die sacerdotium capessere nequeat, illud obtineat vsque ad anni exitum, vt constat ex *cap. Commissa, citato.*

Quinto queritur, An Clerico infirmo liceat beneficium resignare, sic, vt resignatio rata sit, & firma? Respon-

deo, licere iure communi *Abbas in c. 1. Et in cap. Licet, de renuntiat.* nam iura infirmis, etiam morti vicinis ceteros actus legitimos permittunt: potest enim infirmus transigere. *l. Sana mente. C. de Transactio.* potest testamentum condere. *l. Sentum, ff. Qui testamentum facere possint,* matrimonium contrahere, vt docet communis opinio: tanquam testis examinari. Item Papa in mortis articulo constitutus potest actus legitimos facere, beneficia conferre, leges condere, facultates, & priuilegia condere: vsu tamen curia Romanæ non admittuntur resignationes beneficiorum factæ ab infirmis, nisi facta resignatione, diebus viginti superuixerint.

Sexto queritur, An qui vult religiosum institutum complecti, possit beneficium dimittere? Respondet communis omnium opinio, posse iure antiquo communi, quo etiam iure resignatio valet. At dubie questionis est, an Nouitius dum in probatione versatur, possit ita beneficium dimittere, vt valeat id quod facit? *Geminianus in e. Beneficium, de regulari. in sexto.* docet licere Nouitio se beneficio abdicare, & subsistere resignationem: vtumque probat, quia cum adhuc sit Nouitius, eius voluntas nondum plene est Abbati subiecta, ac proinde potest sine eius consensu beneficium dimittere? *Resignatio vero, inquit, rata est, quia nullus in iure inuenitur Canon, qui eam irritam efficiat.*

Cæterum in Concilio Trident. *sess. 25. c. 16. de regularib.* dicitur: [Nulla quoque renuntiatione, aut obligatio antea facta, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuscunque causæ pia valeat, nisi cum licentia Episcopi, siue eius Vicarii, fiat intra duos menses proximos ante professionem, ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter vero facta, etiam cum huius fauoris expressa renuntiatione, etiam iurata, sit irrita, & nullius effectus.] Quod decretum habet locum etiam in renuntiatione beneficij. nam Concilium generatim ait: *nulla quoque renuntiatio aut obligatio, Et ergo fieri potest renuntiatio absq; superiorum consensu, sed non nisi intra duos menses proximos ante professionem, & consensu Episcopo, vel eius Vicario, & facta renuntiatione Episcopus non potest beneficium conferre, nisi emissa professione, vt sacra Cardinalium Congregatio declarauit: quamuis Bonifacius in cap. beneficium, de regulari. in sexto. definiat beneficium Nouitii ante probationis annum elapsus, nulli conferendum, nisi ad id ipsius Nouitii consensu accedat.* Rogabis, An prædictum Concilij decretum, in eo locum habeat, qui suum beneficium resignauit ante ingressum in religionem, habens in animo religiosam vitam capessere? Sacra Cardinalium Congregatio declarauit, locum habere, quia videtur renuntiatio in fraudem decreti facta: & hoc, quando talis Clericus nihil aliud habet vnde viuere queat, vel quando iure, & ratione illius beneficij est ad ordines promotus.

Septimo queritur, An Clericus, qui nihil habet, vnde sustentetur, nisi ex beneficio, illud dimittere queat? Respondeo, in hunc modum: aut est tantum minoribus ordinibus initiatus, aut factus: si primum, potest beneficium deponere, cum possit ad nuptias transire: si secundum, minime, nisi aliunde necessaria vita habeat alimentum. Pius V. Constitutionem edidit sic incipientem: *Quanta Ecclesia, vbi sic ait: Sed nec horum vllus sacro ordini mancipatus, nisi religionem ingressurus, valeat vilo modo beneficium Ecclesiasticum resignare, nisi aliunde ei sit, quo in vita possit commode sustentari.* Item Concilio Tridentin. *sess. 21. cap. 2. de reformat.* ita statutum est: *Si quis ad sacros ordines fuerit promotus, & titulo alicuius beneficij, id resignare non possit, quod ad illius beneficij titulum sit promotus: neque ea resignatio admittatur, nisi consilio, quod aliunde viuere commode possit: Et aliter facta resignatio nulla sit.* Ita Concilium. Vnde in renuntiatione apponitur clausula. *Quia habet aliunde, vnde viuere queat.*

Octavo queritur, An is qui ipso iure ante vllam iudicis sententiam beneficio priuatus est, possit illud resignare, ita vt rata, & firma resignatio sit? Respondeo, quam-

cumque

cunque opinionem sequamur, siue eam quæ affirmat huiusmodi Clericum ante iudicalem criminis declarationem beneficium debere dimittere, siue alteram, quæ id negat, Communi est sententia receptum, resignationem ratam, & firmam non esse: quia quamuis sit illi permilsum, ut beneficium possideat, donec sententia iudicis crimen declaretur, ius tamen, & titulum beneficii amisit, quo die crimen incurrit: at resignatio beneficii est voluntaria dimissio iuris, quod in beneficio quis obtinet. Verum quærat aliquis, An is qui ipso iure non est beneficio priuatus, sed iudicis sententia priuandus, tuta conscientia possit beneficium dimittere antequam criminis condemnetur? Respondeo, ex communi omnium sententia posse, quia ante iudicis sententiam, in beneficio ius obtinet: ergo potest suo iure cedere, ut ad alterum transferatur.

Nono, An ætate minor possit coram Ordinario suum beneficium dimittere? De hac questione Gloss. Abbas, & alii in *capit. ex parte de restit. spoliator. Abbas, & ceteri ibidem.* & Covarr. *lib. 1. Variarum resolut. cap. 5.* Respondeo, in iure minores appellari, tum eos qui decimum quartum annum ætatis excedunt, & vigesimum quintum nondum agunt, quibus curatores dantur, tum eos qui nondum decimum quartum attingerunt annum, qui in tutorum cura esse solent. Communi sententia receptum est, minorem viginti quinque annis, sed decimum quartum excedentem posse beneficium deponere, sine ullo curatoris consensu. *Gloss. in cap. Ex parte, de restit. spoliator. Abbas, & ceteri ibidem.* & potest tum per se, tum per procuratorem se beneficio abdicare, sicut etiam absque ullo curatoris assensu potest beneficium sibi collatum accipere. Nam in causis spiritualibus, & Ecclesiasticis, & in his, quæ pendent ab eis, Clericus minor viginti quinque annis pro maiori habetur *cap. ult. de iudiciis.*

Quæres, An hic Clericus minor viginti quinque annis possit beneficio restitutionis uti aduersus resignationem beneficii à se factam? Respondeo, quando cumque in resignatione læsus non est, tunc beneficio legis uti non potest, ut si beneficium dimittit, quia duo habebat, & ex alterutro vivere potest: aut beneficium dimissum ei potius oneri, quam emolumento erat: aut quia dimisit gratia aliquis consanguinei, vel amici: aut quia deposuit matrimonium contracturus, aut in religionem ingressurus, eo quod beneficium restitutionis in integrum iure communi conceditur minori viginti quinque annis, si fuerit læsus, *l. Non omnia ff. de minoribus, & l. minorib. C. de restit. in integrum.* Quando vero minor beneficium dimisit, & in ea dimissione læsus est grauitur, quia ex beneficio vivebat, si res sit adhuc integra, hoc est, si nondum beneficium est alteri collatum, restituitur in integrum sola gratia, & fauore ætatis. Si vero collatum est, iuxta aliquorum sententiam, etiam est restituendum. Sic Vincentius, & Archidiaconus teste Panormitano loco citato, quam sententiam sequitur Covarruias *lib. 1. var. resolut. cap. 5. num. 3.* At secundum aliorum opinionem, restitui iure non debet, quia ut dixi, in spiritualibus, & Ecclesiasticis causis maior esse videtur. Sic Tancredus, Accursius, Glossa, Ioan. Andreas, Lignanus, Cardinalis, Antonius apud Covarruiam loco citato: Sed Abbas videtur sentire etiam tunc restituendum, si fuerit grauitur læsus, nam etiam in Ecclesiasticis subueniendum est deceptis, & læsis.

C A P. XXI.

De resignationibus beneficiorum cum reservatione omnium fructuum, vel regressus, accessus, vel ingressus.

Primo quæritur, An resignatio beneficii cum reservatione omnium fructuum licita sit? Sciendum est, aliquando Clericum suum beneficium dimittere, omnibus tamen fructibus sibi reseruatis, ita ut ad resignatarium solum ius, & titulus beneficii transferatur, & hæc resignatio

fieri iure communi non potest, vel eo quod iure communi beneficium diuidi nequit. *cap. Maioribus, de præbend. vel eo quod beneficia, sine diminutione conferri debent. cap. ut beneficia, sine diminut.* Diuiditur autem beneficium, vel saltem cum diminutione confertur, cum fructus vni dantur, siue reseruantur, alteri vero ius beneficii confertur. At quia Romanus Pontifex libere potest de beneficiis statuere in iis, quæ solum sunt iuris scripti, non naturalis, vel diuini; inde fit, vt possit beneficium Titio conferre reseruatæ ad tempus omnibus fructibus Caio beneficium dimittere. Porro hæc reseruatæ fructuum admitti solet iustus de causis, neis qui beneficium resignat, detrimentum patiat, sed habeat vnde commode sustentetur, vel contracta debita. Fructus enim dimittenti beneficium reseruantur loco pensionis, quæ in subsidium vite dari solet. Imo, ut constat ex *capit. Si tibi concessio, de præbend.* ad debita Ecclesie soluenda concessum fuit, vt posset ad certum tempus percipere fructus omnium beneficiorum in sua diocesi vacantium: Et Clemens VII. fertur concessisse Hippolyto Mediceo Cardinali, nepoti suo facultatem, qua posset arbitrato suo statuere de omnibus fructibus omnium beneficiorum in toto Christianorum orbe vacantium ad sex menses.

Verum si quæras, Quid ea clausula significatur apponi solita, cum resignanti beneficium, omnes fructus reseruantur, nimirum data facultate, vt eos propria auctoritate percipiat? Respondeo, sensum eorum verborum hunc esse, eos vt possit capere per seipsum, sine cuiusuis alterius consensu, ac si adhuc dimissum beneficium retineret; est enim illi beneficium, quod dimisit obligatum; quare ab eotantum à re sibi addicta seruitutem exigit. Quod si hæc quam diximus clausula non apponitur; tunc fructus capere iure non potest sine consensu resignatarii, ut docet *Robuffus in praxi benef. part. 3. tit. ratione persona & reseruatæ reseruatæ. num. 23.* Quæri posset, An sit necessarius resignatarii consensus expressus, cum resignanti omnes fructus reseruantur ad tempus? Respondeo, esse necessarium, sicuti etiam in pensionibus necessario requiritur: nam alioqui detrimentum pareretur, quando quidem is qui titulum beneficii habet, onus sine fructu ullo, & emolumento subire, ac sustinere non cogitur: nam qui altari seruit, de altari viuere: ac scienti, & volenti non fit iniuria, siquidem sciens, ac volens onus suscipit. Ergo si quis seruire velit gratis Ecclesie, nulla iniuria afficitur, si alteri fructus reseruentur: nec reseruari solent, nisi cum resignatarius habet, vnde commode sustentetur.

Secundo quæritur, An licita sit resignatio, qua quis beneficium suum in gratiam alterius dimittit, reseruatæ sibi regressu ad illud? Sciendum est, quando coram Romano Pontifice aliquis beneficium suum causa, & fauore alterius deponit, solet Papa concedere facultatem resignanti, qua certis ex causis possit ad beneficium dimissum redire: & hic dicitur regressus: qui nihil aliud est, nisi ius ad beneficium dimissum reuertendi. Vocatur hoc ius tripliciter; Regressus, Accessus, & Ingressus. Tunc beneficium resignanti conceditur regressus, quando ei datur facultas, vt si resignatarius, hoc est, is, cuius gratia beneficium dimittit, præmoriatur, redeat ipse resignans propria auctoritate ad beneficium dimissum, quod ante resignationem legitimam possidebat. Regressus enim ad rem aliquam vel ius, est reditus ob quosdam certos euentus ad illud ius dimissum. Necessè autem est, ad regressum, vt is cui conceditur, beneficii possessionem ante obtinuerit. Tunc vero reseruatæ resignanti accessus ad beneficium, cum alicui sit potestas accedendi ad beneficium, & illius possessionem capiendi, quam antea nactus non fuerat, quia v. g. Titius legitimam ætatem ad beneficium capessendum non habet, vel crimine aliquo, vel censuræ Ecclesiasticæ vinculo tenetur, vel irregularitate impeditur, datur illi facultas, vt cum ad legitimam peruenit ætatem, vel crimine expurgatus, vel à censuræ absolutus, vel ab irregularitate liber fuerit, propria auctoritate possit ad beneficium

ficiam